

### III.

## NEOVIDENSIS

Nro. 92. (*Neovidensis* 1807. Nro. 93.)

---

*Ex campis Elysiis*

*Politica vita functorum colloquia.*

---

Elysium. - Meum. - Die Veneris. 1. Dec. 1807. (*Neov.* 13. Nov.)

---

*Colloquentes Manes.*

*Joannes Christ. Theden, et Jac. Reineggs.*

**T***heden.* Quanta afficior animi laetitia, dilecte Reineggs! te hisce in locis deprehendendi; nisi me fallit opinio, iisdem, dum in vivis ageremus, exercitabamur, et jactabamur vicibus, tuas cognoscendū penitius est animus. Induciis pacem inter, et bellum in orbe politico intercedentibus, neque quid novi occurrente percupidus sum, ex te ipso statum et cursum rerum tuarum intelligendi.

*Reineggs.* Adamate Theden! qui de ligaminibus vulnerum, antliis mamillaribus, ar-

teriarum sectionibus, tam multa, tam praecleara meditare, commentare, ut quaeso malus te urgere potest genius, historiam ut cupias meam?

*Theden.* Similitudo, fateor, vicissitudinum nostrarum — spero, hanc mihi benevolentiam non denegabis.

*Reineggs.* Si ergo tibi tantus amor, casus cognoscendi, incipiam; Filius sum Christiani Rudolphi Ehlich civis et barbitonsoris Islebiensis, in qua urbe die 28. Nov. 1744 primam mihi lucem aspiciendi fortuna obtigit, a patre doctus artem barbaram radendi Anno 1762 in conditione barbitonsoris Lipsiam profectus sum; hic proprie portentosa vitae meae orbita exordium capit; tale quid animo meo inerat, quod definire non possum; operam dedi medicae, praepriis Chemiae, cum subitus Anno 1768 me discedere casus finibus extremae jusserat Saxoniae.

*Theden.* Ai ne, et quam quaeso ob causam?

*Reineggs.* O Vir Clarissime; Doctor eximie! an non eam subtili tuo ingenio assequendo es? *Paululo eram jucundior*, contraxi nomina, et Lipsia propere nescius ipse, quo me fata ferent, pedem etuli. In migratione mea, quae habui, vendidi: ex pretio fibularum de calceis sextiduo manducavi, et duo paria sericeorum tibialium intra totidem vesperos perpotavi. His levior factus pallium humeris meis detractum alienabam, quo itinerales ad 24 milliarum expensae persolvebantur, superi! aderat et pugio, hujus mo-

dus manubrii erat argenteus, et uno integro mense adversus famem me defendebat, manubrium argento obductum 265 pintas cerevisiae, 10 in crumenam Rhenenses, senis hebdomadis panem, bubulam, et acidos caules mihi procurarunt: Horologium meum argenteum famulo cuidam Comitis Bohemici (si bene memini, *Hartig*) 22 Florenis cum additamento 3 librarum farciminum vendidi. Galerum meum, quem olim in Universitate gestabam, fame stimulante pro frusto carnis bubulae permutavi, caute tamen Zonam decerpsi, quam pro 10 pintis cerevisiae urgente siti impignorabam.

*Theden.* Hoc vere, Amice! fuit paullo plus justo jucunditati indulgere.

*Reinoggs.* Cogitabam intra me jam cum Ovidii Metamorphosi opus adgrediendum tibi, cetera ex cacoethe suapte jam consequetur; amphora coepit institui, sed nequidem urceus exivit. Mundus optimus in hoc rerum mearum statu fuit pessimus. Leibnitzium insectabar, auctorem optimismi; tandem ad mendicandum, et ostiatim stipem, ut *mos cehalis fert*, petendam animum adcommodavi; officiales publici et magistratus parum mihi probabantur, nam vagabundum me compellabant, et publico hospitio minabantur; apud protestantium ministros vox matris familias instar auserum gloriabatur: *Ipsa est luridus Studens*; verum apud Parochos Catholicos illico animadversio fiebat: *est pauper stu-*

*diosus, potest hodie cras adhuc fieri parochus!* hoc vere fuit penetrantis ingenii dictum! quod nunquam non Cantharo bonae cerevisiae et dapibus a me excipiebatur. Accidit: ut in Bohemiae quadam urbe humectandi gutturis gratia forte tabernam cerevisiariam subirem; aderat ampla satis convivarum frequentia cerevisiam bibentium, repente muliebris vox audiebatur, de aegritudine conjugis querentis. En, ejulabat, quid nos fiet! ut vitam tolerabimus? nos per urbem promulgavimus *Principem Schnudi et Dominam Principem Evam Catharinam* nos in scenam producturos, at maritus meus aeger jacet, in scenam podire nequit, quid consilii capiam! quo me vertam! — his ego ploratibus aures praebso, mox intelligo: peregre proficiscentes Comicos esse; velut fulmine ictus stupui, mox collecto spiritu *Dominæ Evæ Catharinae* me praesento, si, ajebam; *Dominatio* veniam dederit, ego ipse principis *Schnudi* personam agam, sum vacans Comicus; — quanta haec anxiae mulieri audiendi fuit voluptas! quanto, fide sibi praestita, solatio adfecta; et Doctissime Domine! perpende; *Comicus factus sum*, egi personam principis *Schnudi*, amoribus principis *Evæ Catharinae* captus sum, et ea comite Bohemiam peragrabam.

*Theden.* Profecto haec memoratu digna eventa; denique verum est, quod dici amat: Dominus Deus diversosa limentis pascit.

*Reineggs.* Clarissime Chirurgiae Doctor!

et tua Dominatio horm comprehendebatur numero; a tonstrina ad prima Generalis Chirurgi subsellia!

*Theden.* Ut porro negotia decurrerunt tua?

*Reineggs.* Tandem Comitorum globi & Evæ Catharinæ me tæduit; Vindobonam profectus, & reapse sub nomine, quod adoptavi, *Reineggs* Anno 1770 in Collegium Comitorum adscriptus sum; at & hujus me tædium cepit conditionis; valedixi Thalix & in Hungariæ celebre Musarum emporium *Tyrnaviam* me contuli, ibique Doctoris Medicinæ laurea condecorandum me curavi; paullo post ægrorum invisere lectulos dispicuit, animum ad rem montanisticam adcommodavi, ei operam dedi, & practicans Schemnitzii cum stipendio 100 Thal. renunciatus sum; hic nova, quam postmodum egi, panditur scena; propensio mea sectandi portenta, & itinera faciendi motivo mihi fuit Turciam petendi. Venetias profectus inde Smyrnam, & cum apud Turcas rationibus meis haud consultum perspicerem, in Georgiam me transtuli. — Georgianos diversis Europæorum notionibus imbui, docui ipsos artem pulverem nitratum conficiendi, machinas billicas ex ære fundendi; quo factum: ut a principe *Heraclio* ad dignitatem Principis eveherer; qua insignitus, Caucasum Anno 1782 perlustravi, in Russiam profectus in visi claram Petropolim, in qua ab Imperatrice Catharina II. atque ejatibus Eruditis, quibus descriptionem

Caucasi communicabam, ceu gravissimæ auctoritatis vir exceptus sum; rursus in Georgiam expeditus ad procurandam Heraclii subjectionem Russis præstandam quam reapse Anno 1785 feliciter ad effectum deduxi, postremum Petropoli munus Collegii Consiliarii Directoris Instituti pro neo Chirurgis, & perpetui Secretarii Collegii medici Imperialis sustinui; in quo repentina 1793 mors ad has me sedes transtulit, & portentis ac itineribus meis terminum imposuit.

*Theden.* Jam videte! quid ex barbitonore Islebensi fieri possit!

*Reineggs.* Objectabatur mihi sæpius: quasi in Austria Catholicam; in Turcia Mahomedanam, in Georgia Græcam, in Caucaso Judaicam Religionem secutus fuisset. Equidem diffiteri non possum: me omnibus ad commodasse, verum; an in hac migratoria quam egi, vita, in diversis, quos amplexus, statibus; vitæ generibus, & dignitatibus, quas inde a Principe Schnudi, ad principis usque Georgiae gessi, alius modus suppetebat? paulo ante dicebas Deum diversos in hoc orbe habere convictores, in me convictorem omnium formarum, figurarum habebat — sed jam tuam biographiam Magister Theden?

*Theden.* Dabo legendam, prout in mundo superiore describitur — equidem princeps non fui, nec ullam provinciam alicui Statui adjunxi, quemadmodum TU Georgiam Russiæ nihilominus artis meæ intelligens, clarusque vir fueram.

## B I O G R A P H I A

Theden (Joan. Christian. Antonius) Regio-Prussicus primarius Generalis - Chirurgus, ac una Regiminis - Chirurgus universae cohortis pyrobolariarum, et commembrum sup. Collegii Medici Berolinensis, natus est in vico Steinbeck in Ducatu Megalopolitano 13. Sept. 1714, patre, misero praediorum conductore, annum aetatis 69. agente, e cujus 23 liberis hic ultimo genitus erat. Tertio aetatis suae anno patrem amisit; nono Buczovium venit studiorum causa, 13 aetatis anno factus scriba, et famulus cujusdam Sacretarii Thieleke ibid. Pertaesus famularis vitae, se post 4 annos ad condiscendam apud primo genitum fratrem suum artem sartoriam adplicuit. Verum discendi cupidus adolescens commodum suum hac in arte non repertiens, se apud vicum Chirurgum Schmidt Bunczovii tyrocinio addixit. Evolutis tyrocinii annis, 1734 Rostochium qua sodalis venit, et hic primam habuit occasionem studio suo, quo in comparandas literarias notiones ferebatur, quadamtenus satisfaciendi. Sub initium 1736 Hamburgum, ad quaerendam meliorem fortunam, est profectus, se sequente vero anno Dantiscum. Mox dein qua equitum turmae chirurgus venit Riesenburgum ad regimen prussicum cataphractorum. In cunctis novi sui officii partibus maximam exhibuit diligentiam, quare aestimationem apud superiores, et omnes Regiminis officiales sibi promeruit. Posteaquam primo bello silesiaco interfuisset, usque 1744 Berolini vixit, ubi Professor Scharschmidt multum ad ejus cultu-

ram contulit. In secundo bello silesiaco servivit primum qua Regiminis Chirurgus, tum Anno 1745 ad altio rem gradum promotus. Restituta pace studia Berolini continuavit, & imprimis in Anatomia semet exercuit, usquedum septennale bellum erupisset, quo durante maximi momenti servitia exercitui præstitit, qua re ipsius Friderici II. animum lucratus, qui successu temporis pariter ejus auxilio utebatur, eum que 1786, mortuo Schmuckero, primum Generalem-Chirurgum exercitus sui nominavit. In hoc munere constitutus plurimum contulit ad emendanda instituta Nosocomiorum cum apud Regimina, tum apud exercitum. Paterna fiducia, qua omnes suos ægros, & amicos alloqui solebat, eidem fere ubique honorificum nomen: Pater Theden, procuravit. Inter utilia inventa nostri temporis in Medicina ejus aqua pro vulneribus, qua ille nimium quantum profuerat, præcipuum meretur locum. Ejus reliqua magni momenti inventa, & observata in arte curandi vulnera, ejus varia, ab eo perfecta, instrumenta chirurgica, ex ejus Scriptis orbi sunt nota, quorum præcipua sunt: *Neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarznehkunst und Medicin*, 3 Thle 1771—1795; *Unterricht für die Wundärzte bey Armeen*. 2. editio 1782. Scripta hæc, e quibus verus illius practicus omnia observandi spiritus primo statim obtutu elucet, ipsi honorem, orbi vero emolumentum adtulerunt. 27. Julii 1787 quinquagesimum Officii sui annum cum solennitate celebravit, & 21. Oct. 1797. activus hic, & commodi humani generis studiosissimus Vir supremum diem clausit.